

Matthias Wasmuth David Harberding

Vindiciarum S. Hebraeae Scripturae Disputatio II.

Rostochii: Kilius, 1664

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740041150>


Druck Freier  Zugang



RU Med 1664.

Matthias Wasmuth

Verk.: David Harberding




70

I. N. J.
 VINDICIARUM
 S. HEBREÆ SCRIPTURÆ
 DISPUTATIO II.
 PRÆSIDE
 MATTHIA VVASMUTH,

RESPONDENTE
 DAVIDE HARBERDINGIO,
 Rostochiensi,
 ad d. 6. Julii.

In AUDITORIO Magno.



ROSTOCHII,
 Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. Anno 1664.

1664

I. N. J.
VINDICIARUM
S. HERBEE SCRIPTURAE
DISPUTATIO
MATTIA VVASMUTH.
RESPONDENTE
DAVIDE HARBERDINGIO,
Rostochensi
ad. d. Joh.
In A. J. 1750.
ROSTOCHII
Typis JOHANNIS KELLII, Aed. Typogr. Anno 1750.

VINDICIARUM S. Hebrææ Script.
PARS PRIMA,

qua

Originalis Authentia divina tam Vocalium & Accen-
tuum, quàm Literarum S. Textus Hebræi,
contra Antagonistas quosvis, imprimis verò
Capellum, Waltonum, & Vossium F.
defensa asseritur.

CAPUT I.

Quò proponitur

Argumentum Grammaticum,
ductum

ab essentialibus externi formalis Scripturæ:

*Quicquid per primævam Mosaicam & Propheticam originem, com-
petit hodierni Sacri Textus Hebræi Literis consonis, ceu uni parti
essentiali Scripturæ Hebrææ; idem etiam per eandem originem,
competit ejusdem Punctis Vocalium & Accentuum, ceu alteri ejus
parti essentiali & coævæ Literis.*

*Atque authentia divina planè & infallibilis, per primævam Mosa-
icam & Propheticam originem, competit hodierni Sacri Textus
Hebræi Literis consonis, ceu uni parti essentiali Script. Hebrææ.*

*E. authentia divina planè & infallibilis, per eandem originem,
competit punctis Accentuum & Vocalium, ceu alteri parti essen-
tiali & coævæ Literis.*

Hujus Argumenti Grammatici Præmissas quatuor Secti-
onibus confirmabimus: Quarum SECT. I. vindicabit ab anti-
thesi Minorem Propositionem de primævâ & authenticâ origine
Literarum consonarum hodierni S. Textus Hebræi.

E

SECT.

SECT. II. *Eandem Minorem probabit theticè.* (Minoris siquidem Propositionis solidè priùs confirmatâ veritate, deinceps validiùs nitetur Majoris Propositionis nexus & evidentia.)

SECT. III. *Vindicabit ab antithesi, Majoris Propositionis Hypothesin de Coœvitate Punctorum Vocalium & Accentuum, literis coessentialium.*

SECT. IV. *Eandem Hypothesin probabit in Thesi, & hanc liberabit ab Objectionibus & instantiis Adversariorum.*

Sectio I.

quâ

Minor Propositio Argumenti Grammatici (de Literarum hodierni codicis Hebræi authentia originali) *antitheticè vindicatur*, per defectum probationis contrariæ.

ANTITHESIS I.

Capellus, Waltonus, & Assecla, statuentes, hodiernas Literas sacri Textus Hebræi, non esse primævas Mosaicæ & Propheticæ, sed recentiores Babylonicas (seu Assyriacas, Chaldaicas), quas Esra, post solutionem captivitatis Babylonice, restauratæ à se Scripturæ Sacre primus adhibuerit, & deinceps populo Judaico commendavit, relictis Samaritana genti, ob gravissimum odium, primigeniis Scripturæ Hebræe literis, quæ sint hodierna Samaritana; hanc sententiâ suam probare nituntur, (α) communi assensu Philologorum Neotericorum, (β) Doctorum veterum Ecclesiæ, (γ) Talmudicorum (δ); Rabinorum; (ε) documentis veterum Siclorum, aliisque Levioribus ratiunculis. Verùm (α) Consensus ille Philologorum Neotericorum, nihil hætenus pro ipsis facit, nec ullatenus erraneo illi assertio fidem adstruit.

ΕΝ ΤΕΛΕΙ.

Ἐκ τῆς αἰῆς. *Ex t̄e s̄c̄i.*
 §. 1. Hodiernam S. Bibliorum Hebræorum, כתב מרובע *scripturam quadratam*, (ut communiter appellatur), Assyriacam seu Chaldaicam esse; contra autem, Samaritanas seu Cuthæas literas, esse illas primævas, quibus Lex primùm data fuit, probaturus Cl. Waltonus Anglicani Operis Editor celeberrimus (t), in acie locat consensum plurimorum maximeque insignium Philologorum & Theologorum, Scaligeri (u), Drusij (x), Vossij (y), Grotii (z), Sixtini ab Amama, (a) Casauboni (b), Bocharti (c), Gvilielmi Postelli (d), VVaseri (e), Mayeri (f), Petri Galatini (g), & præcipuè Ludovici Capelli, (cujus Arcanum punctationis revelatum, appellat *doctum & elegansem librum*): cum imprimis Pontificiorum, Sixti Senensis, Philalpandi, Bellarmini, Bonfrerij, Gvidonis Fabricij, Johannis Morini, (quamvis & Huntlaum, Gordonum, aliosque Jesuitas potuisset adjungere, ut & Ariam Montanum, Genebrardū, Cornelium Agrippam, aliosq; complures). Et alibi (h) idem Waltonus, hanc dicit communem Doctorum sententiam, à Christianis & Judæis antiquis & recentioribus receptam; contrarium autem forte statuentes, infirmis nitentiunculis, quas ex præjudicatis suis opinionibus hauserint, à quibus recedere nolentes, ipsum Solem in meridie lucere negent. Et p 21, Ib. Christianos igitur Theologos NB pudere debebat talium nugarum; (scil. quod defendant primævam authenticam Literarum nostri S. Textus Hebræi).

§. 2. Verùm, ut (1) in genere respondeam, frustra in tot tantorumque Nominum autoritatibus, præsidium suæ sententiæ quærunt, Waltonus, Vossius, Capellus, & Affectæ; gra-

E 2

tisque

t in Proleg. III. ad opus Anglican. p. 20. u Animad. in Chron. Euseb. p 62, & 103.
 x Comm. ad Exod. c. 37. y Gramm. l. 1. c. 9. z In notis ad lib. de Verâ Rel. Christ. a In
 Antibarb. Bibl. b In Exercit. contra Baron. c In Phaleg seu Geogr. S. d In Alphab. 12
 Ling. e de Nummis Hebr. f Prodr. Phil. Sacr. Part. 1. g Lib. 1. de Arcan. Cathol. Rel. h In
 Dissert. de Ling. Orient. p 28.

tisque eorum nudis assertis se jactant, cum argumentum illud facillimè destruat, oppositò saltem aliorum nihilò minorum Autorum sat honestò numerò, qui contrarium hic non sine firmis asserunt rationibus. Quorum sequentes nunc saltem breviter enumerabimus, ut simul constet apertissimè falsum illud *καὶ ἔγραψα* Waltoni, *sententiã illã suam, communem Doctorum veterum & recentiorum* dicentis. Contrarium igitur *docent & probant*, tum Theodorus Bibliander (i), ubi ostendit, *Efram nec voluisse nec potuisse mutare Scripturam in populo DEI, quã DEUS legem suis digitis exaraverat: prout in Talmude Babylonicò, Tract. Megill. c. 1. expressè dicitur, quòd nulli unquam Propheta permissum fuerit, quicquam innovare in Scripturis.* Tum his seqq: Polanus (k), *Mibi nequaquam sit verisimile, Efram, Malachiam, Haggæum, Zachariam, Literas à DEO ipso acceptas abjecisse, & cum humanis, imò gentilibus, literis commutasse.* Tum Franciscus Junius (l), *illam sententiã Adversariorum inter Milesias fabulas referens.* Pariter Hugo Broughtonus (m), *Sebastianus Nouzenus (n), Dan. Schwynterus (o), Marcus Marinus Brixienfis (p), Nicolaus Fullerus (q), Casar Baronius (r), qui Philonis testimonio probat, quòd ipsa illa & lingua & character, quò antiquitùs scripta Lex fuerit, permanserit absque ullà mutatione, etiam post Efram.* Item Picus Mirandula (s), *qui se è multis doctissimis Hebræorù percunctatum esse scribit, de iis, quæ de Hebræo & Samaritano Characterè disquiruntur; illos autem omnes (NB contra Waltoni & Capelli jactantias), nullam mutationem agnovisse, quin pro compertò habuisse, iisdem, quibus nunc utimur in Hebræicã literaturã, apicibus, usos esse Mosèn & Patriarchas antiquos omnes. Atque id*
maximè

i In Comm. de opt. gen. Hebr. Gramm. p 76. 77. k Comm. ad Ez. c. 9. v. 4. l Ad libr. 2. Bellar. de V. D. c. 1. m In concentu Sacre Scriptura p 126. n De primã Hebræicã Sermonis Lẽctione. o Exerc. de verã pronunc. Lit. Hebr. th. 61 p In Arcã Noe seu Theaurò lingue sac. Lit. N. q In Miscellan. Sacr. l. 4. c. 4. r Annal. rom. 2. p. 193. s In Epist. ad ignotum.

maximè etiam confirmare veteres Cabalistas, qui à Majoribus acceperint, sub illis literarum characteribus & figuris, quibus nunc legem descriptam habemus, latere divina mysteria. Pariter Wilhelmus Schickardus (t), rectissimè statuit, uti in Religione, Samaritani à Judæis, non hi ab illis, defecerunt; ità etiam indubitato scriptiois antiquas figuras, sacrum DEI populum retinuisse: illos autem Schismaticos (Samaritanos), ut in omnibus differrent ab Israëlitis, characteres literarum mutasse. Tum verò ipsam illam hodierna Mrubba Hebræorum picturam constantem, equabilem & decoram, (adde & simpliciorè), ipsò adspectu præ se ferre reconditam talem majestatem, quæ longè potiùs Legislatori Sapientissimo convenire videatur, quàm illa hiulca, deformis, aspera, & ex aratu difficilis, imò (ut ex omnibus circumstantiis apparet), ex aliis factitia (Samaritanorù). De quâ proinde rectissimè R. Asarias (u) scribit, quòd colata ad Scripturam sacram, כקוף בפני אדם הוא se habeat instar simiæ ad faciem humanam. Sed & (qui primò locò memorandus fuerat) Cl. Buxtorsius, in Dissertatione de Literis Hebræicis, eandem Hebræarum literarum antiquitatem prolixè, & more suò eruditissimè ac solidissimè asseruit. Deniq; eandem sententiam, suâ etiam autoritate, nec minùs firmis rationibus, confirmant novissimè, Doctissimus Anglus Rob. Baillius, in præclaro Opere Histor. Chronol. p. 106, seqq. & Eruditissimus, inque Orientali Literaturâ omnibus ferè Europæ Philologis palmam præripiens, Jesuita Athan. Kircherus, in suo Oedipo Ægyptiaco (x). E quibus omnibus tandem manifestum fit, autoritatè magnorum Nominum, non magis deesse assertoribus Hebrææ literaturæ, quàm ejus destructoribus. Et licet istorum fortè pauciores sint, nunquam tamen pauci sunt, qui vincunt, (nimirum firmis rationibus meras adversariorum conjecturas): adeò ut omninò hic ob-

E 3

tinere

t In Bechinath Happer. p. 82. u In præf. lib. Arugas Habbossem. x Gymnas. Hieroglyph. Classe II, à p. 81 usque 85, & à p. 95 usque 109.

tinere debeat pervulgatum illud; *Non quis quid, sed quid quis; hâc viâ ad veritatem itur!*

§. 3. *Respondeo (2) in specie, ad singulos à Waltonò citatos; non deesse nobis rationes sat graves, adversus complures eorum excipiendi, omnēque (in his) autoritati ipsorum abrogandi fidem. Ut enim nihil dicam, quò candore aut conscientia, adversus sacrarum literarum divinam originem & certitudinem, Pontificios testes adducat Waltonò Reformatæ professionis Theologus; (qualem collusionem fas haut erat, in Ecclesia Reformatâ tolerari): item Petrum Galatinum, quâvis hic non erubescat(y), codicem nostrum Hebræum è Talmude corrigendum asserere: tum etiam Johannem Morinum, quem tamen ipse Waltonus (a) meritò castigat, ceu absurdissimè statuentem, quòd & Versio Græca LXX, & vulgata Latina, divina autoritatis sint, licet (ipsòmet asserente) sibi invicem ita sæpius contradicant, ut nullò modò conciliari possint: & in Exercitationibus Biblicis, (verius Antibiblicis), idem Morinus impudenti ore nugatur, Vulgatam Versionem afflatu Sp. S. factam esse, allegante & rectè detestante ipsò Waltonò, l. cit. p. 144. Et tales tamen testes, Waltonò habentur quasi ἐκ Διὸς δέλων, Sed ut, inquam, hos mittam;*

(1) quidem *Mayerus* pro Waltonò allegatus, se ipsum planè destruit apertâ hâc contradictione, quando in allegatâ *Philolog. Sacra* p. 51, rectè statuit, *Puncta (Vocalium & Accentuū), Mosis jam tempore, coæva consonis Scriptura exstitisse; & tamen hodiernis Literarum Hebræarum characteribus tunc Textum non fuisse scriptum, sed Samaritanis, cùm tamen notissimum sit, hanc (Samaritanorum) scripturam, punctis Vocalibus nunquam fuisse instructam: (contrariò planè errore, quò Cl.*

Pride-

y Lib. 1. de Arc. Cash. Rel. c. 8. a In Dissert. de Ling. Orient. p. 108.

Pride aux Anglus (b), *Punctorum quidem novam originem statuit, Literarum verò Hebræarum nullam agnoscit novitatem aut mutationem ab Esrâ factam*.

(2) *Magnus quoq; Scaliger (pro Waltono allegatus), satis confidenter quidem stomachatur in dissentientes, his verbis (locò superius citatò): Ea litera, quibus hodiè Judæi sacros libros conscribunt, nupera & novitia sunt, è Syriacis depravata. Quod cum luce clarius sit, tamen quidam Semidocti, Semitheologi, & ut signantiùs loquar, semihomines, (Vossio in Diss. de LXX Int. audiunt Sesquijudæi), Judaicas literas verè Hebraicas esse, audent dejerare, & impios putant, qui aliter sentiunt. Miseram verò illorum hominum conditionem, qui doctrina & pietatis sua non alios habent testes, quàm asinos: & p 107, eandem nostram sententiam arguit extrema insania & imperitia. Qualem Scaligerianam bilem & dictaturam etiam Waltonus jam usurpare cœpit, cum in literarum Hebræarum assertores sic invehitur (c); Christianos igitur Theologos (asserentes Hebr. Liter. authenticam), pudere debebat talium nugarum, &c. (certè parùm pro Theologò). Sed mirari sæpè subit, quomodo tantâ fiduciâ, Scaligero aut simili Aligero persuasum esse potuerit, saltem dictatoriâ tali, in contradicentes qf. semihomines & Asinos, debacchandi licentiâ, nimioq; fervore ὄθεν εὐμαρέως καὶ λύχνον ἀψαίε, statim imperari posse assensum, cordato & incorrupto Lectori. Certè vel Comici illud; Rem ipsam dic, & mitte malle loqui, prudentiorem modestiam svadere potuisset: aut saltem nasum priùs hic consultum oportuerat. Verùm ut Spartanâ generositate ejusmodi convicia transeamus, vitiosæ & intempestivæ Cholerae magnorum Virorum condonanda; non equidem video, quomodo illud luce clariùs tam audacter affirmare queat Scaliger, quod hodierna Hebræe litera*

b in *Lecttionibus de Relig. Capit. p. 391. c In Proleg. ad opus Anglican. p. 21.*

litera sint depravata è Syris; cum non solum inauditum hoc sit in orbe Hebræo, sed nec vel ab ipso vel ullo aliò saltem probabiliter demonstratum. Quid si verò Scaligero, secundum illud Hebræorum מרו כנגר מרו mensura pro mensura reddenda foret, quando pari temeritate asserit (d) Pentateuchum Samaritanum ne unâ quidem literâ aliter legi quàm Textum Hebræum, cum tamen eodem librò ipse fateatur, se Samaritanum Pentateuchum nunquam oculis vidisse; (quod ipsum etiam de Drusio affirmat Waltonus (e), quem tamen hic pro se allegavit); & si eum vidisset Scaliger, statuente ipso Waltonò p 77 ibid. longè aliter scripturus fuisset. (Primus enim nostris temporibus, eum Occidenti intulit è Syriâ & Palæstinâ, Reverendissimus Jac. Usserius Armachanus Episcopus in Angliâ, vide Epist. ejus ad Lud. Capell. Londin. Anno 1652 impr. p 17. Nec verò obscura est origo erroris illius Scaligeriani; seduxit enim eum Hieronymus, idem asserens præf. in libr. Reg. p 4, sed & huic pluribus satisfiet seq. Antith. II. §. 1, 2.

(3) *Grotiò quidem etiam Magnò ubiq; imò omni exceptione majori, triumphant Capellus & Waltonus fidus Capelli sectator; nec non celeberrimi Vossii P. assertò, (locò superius citato), quod malè eas literas vocemus Ebræas, cum Judaica dici debeant; prout etiam Capellus, & Vossius F. sacrum Codicem nostrum non nisi Judaicum & Rabbinicum appellare sueverunt. Verùm licet nihil detractum velim istorum Virorum famæ ac eruditioni, nihilominus si tanti esset, in proclivi foret demonstrare, tantum in Hebraicis certè, ipsis tribui non posse, quin Cl. Buxtorfforum, Ath. Kircheri, & aliorum longè potior sit autoritas rationibus suis suffulta, quàm istorum nuda assertio. Ipse enim Waltonus contrariam sibi fortè magnum illum Grotium sat contemtim rejicit his*

verbis

d. de Emend. temp. Lib. 6. c. Dissert. de Ling. Orient. p 29.

verbis (f), quod ex conjecturâ suâ & sine fundamento aliquando quid asserat.

(4) Quod verò *Guilielmum Postellum* (pro *Waltono* allegatum) attinet, cui utique non parùm hic tribuendum est, cum præ aliis magnam sibi harum rerum peritiâ & experientiam acquisiverit, complurium orientalium tum librorum tum regionum perlustratione: is certè ut non satis *Adversariis* lectus aut intellectus, ita malè pro ipsis allegatus est, cum planissimè iis adversetur. Quamvis enim (locò superius cit.), *Samaritanos Characteres* dicat esse antiquos, & à *Mosis* tempore vel ulterius etiam originem eorum arcessat; nequaquam tamen eos sacris paginis originales facit, quibus *Tabulæ Legis* *עברית* primitus fuerint exarata: sed, cum expressè duplicem Characterem *Hebraum*, alterum profanum seu communem (qui hodiernus *Samaritanus* sit, quò etiam *Moneta* sunt signata), alterum sacrationem (qui hodiernus *Hebræus*), in usu olim fuisse doceat; utròque quidem caractere sepius descriptam fuisse legem, recenset, & quidem plurima exemplaria *Samaritano* illo caractere communiori fuisse vulgata; verùm *Hebræo* sanctiori caractere scripta, concreditatantum fuisse *Tribui Leviticæ* & *Collegio LXXII Seniorum*, sanctioribus locis asserenda. *istas enim Hebræas Literas* semper habitas fuisse mysticas & sacras, ut olim extra ejusmodi sanctiorem usum nunquam fuerint adhibita, donec *Efra* post solutionem captivitatis *Babylonica*, publicum eorum usum communior fecit: id quod pluribus idem *Postellus* diducit in *Tabulis omnium Linguarum*, nec non *Libro de originibus* c. 17; & de *Hetruriae religione* & institutis, p. 113. Confirmante ea omnia *Fullero* in *miscell. sacris*, l. 4. c. 4. Quin ampliùs hanc sententiam probat idem *Postellus*, l. c. è dicto *Salvatoris*, *Matth 5, 17. 18.* quod ipsa eterna veritas id testetur, comparando, minime particula *Legis impleti-*

F

f In *Dissert. de Ling. Or.* p. 35.

pletionem, cum minima litera Jod non periturã de lege: Unde consequenter Salvator eam nobis veram & genuinam Legis scripturam commendãrit, in quã litera Jod reperitur minima; quã quidem in Samaritanã scripturã, variõ & multiplici ductu compositam & sat grandem quantitatem obtinet: cùm contrã Hebræum Jod adeò minutum sit, ut, annotante Drusio (g), ab Irenæo appelletur dimidiata litera, quãdo ait: Nomen י constare duabus literis & dimidiã. His verò cùm disertè ad stipuletur ipse Waltonus, l. c. p. 30, allegatis ab ipsõ his Grotii verbis; è Christi verbis sequitur, tunc in linguã Hebrã Jod literam, minorem locum occupasse, quã literas ceteras, & proinde istos characteres, quos Sicli præferunt, (intellige Samaritanorum) Christi tempore non fuisse in usu: quomodo igitur vel Waltonus, vel quisquam alius, nisi κεφαλή ἐγκέφαλον ἐκ ἔχου, negabit, quod, sicuti Salvator ibidem de primigeniã utique, indubiã, & originali scripturã Hebrã, (non aliqua recentiori dubiã originis), loquitur, (tantam ejus perpetuitatem adstruendo); ita omninò hodierna nostra Mrubba, (de quã Salvatorem locutum ipsi concedunt), sit illa primigenia & originaria scriptura? His igitur tam manifestè se ipsos destruunt Waltonus & Asselæ, ut tandem firmiter concludamus, primum hoc adversariorum argumentum, à consensu Philologorum, nullum adeò Waltonõ præsidium præstare, ut potiùs contra ipsum & Asselã torqueri possit ac debeat, nec ullum antiquitati literarum Hebr. pariat præjudicium.

ANTITHESIS II.

Nec (β) probatur satis adversa sententia, Testimoniis quibusdam Patrum, iisque valdè incertis ac dubiis, vel & commodiori explicatione faciliè admittendis.

Ἐκ θεοῦ,

g in Annot. ad N. T. p. 10.

Eusebii.

§ 1. Quàm facili momentò, præconceptæ semel opinionis aurâ impellatur animus, suo ampliùs exemplò docet *Waltonus*; quem, ob Patrum quorundam præcipuè *Hieronymi & Eusebii* testimonia, licet non adeò aperta & clara, tanta tamen derogandi sacris literis Hebræis primigeniam originē, incessit fiducia, ut quasi de sanctiori aliquò successu sibi plaudens, concludat ^(h); *Habemus itaque consensum veterum Ecclesiæ Doctorum, multis Neotericis Criticis & Grammaticis præferendum. Cujus gloriosi Epilogi argumentum ei præbuère hæc sequentia Hieronymi (i); Certū est, Esram legis Doctorem sub Zorobabele alias literas reperisse, quibus nunc utimur; cum ad illud usque tempus iidem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuerint: atque hæc Eusebii in Chronicò; Fuit Esras eruditissimus in lege divinâ, affirmaturque divinas scripturas memoriter condidisse, & ut Samaritanis non miscerentur, literas Judaicas commutasse. Quibus duobus succenturiat Capellus venerabile nomen Bedæ, asserentis, nullum apud Ebræos eâ de re esse dubium, quin Esras mutarit literas: quodque propterea Scriba velox vocatus sit, quod literas leviores excogitaverit.*

§ 2. Ad hæc *Resp. (i)*, illud Hieronymi certum est non solum nullo adstrui fundamento; sed non unâ ratione valdè incertum ostendi posse. Sive enim à Samaritanis, qui de autographo Mosis & authenticò caractere falsò semper gloriari sævère, quorum etiam libris se usum esse, aliquoties meminit Hieronymus ^(k), hanc sententiam imbiberit; sive ab Eusebio Episcopò Cæsariensi, pariter à degentibus illic Samaritanis plurimis facilè seductò, tale quid hauserit; sive à Præceptore suo Judæò, quorundam Talmudis loco-

F 2

rum,

^h In Proleg. ad opus Anglicanum p 20. ⁱ Præf. in lib. Regum. ^k In Comm. ejus ad Gal. c. 3. & Quæst. in Genesim.

rum, (de quibus inferius *Antith. III*), erroneâ explicatione sic fuerit persuasus: non minùs incertâ quàm falsâ ubique opinionione est deceptus, *ceu mox infrâ pluribus parebit*. Atque idem de Hieronymo perhibet *Franciscus Junius* (1); *Hoc à Judæis præceptoribus suis didicerat Hieronymus, nec non à Samaritanis, qui istam laudem sibi adhuc falsò vindicant nostrâ memoriâ, quod matricis illius Scripturæ sint custodes*. Insuper verò ipse Hieronymus suum illud certum est evertit contrariò asserto (m), ubi Hebræam nostram Mrubbam facit $\mu\upsilon\sigma\eta\epsilon\lambda\omega\delta\eta$; dum \square illud clausum in mediò dictionis לְרִכְבָּךְ *Jes. cap. 7*, mysterii causâ sic scriptum esse contendit, ad indicandam exclusionem Judæorum à regnò Christi. Quomodo igitur Hieronymo non erit primogenius & authenticus Scripturæ character, qui ipsò docente est mysticus? (neque enim Samaritanâ Scripturâ, mysterium tale per \square clausum exprimere potuit Propheta, cùm Samaritani nunquam Mem clausum habuerint).

§ 3. *Resp.* (2) Mirum videri, quomodo Hieronymi testimonium tam Achilléum nunc Waltonò argumentum sit, dum pro ipsò facere videtur; quem aliàs sibi adversantem quàm facilè rejiciat, probant hæc ejus sequentia, (loco paulò antè cit. p 64): *Hæc verba (de Hieronymo loquitur), nisi me ratio fugit, ostendunt, quantas præjudicium nebulas menti offundat, etiam in Viris aliàs doctissimis, ut potius quàm ab opinionibus semel imbibitis recedant, NB absurdisima quaque affirmare non vereantur*. Et satis insuper constat, quàm integris centuriis, errores tam Hieronymi quàm Eusebii, dinumeret Scaliger, in *Notis ad Chron. Eus.* Neque igitur nobis etiam, rejiciendi (in Hebræâ literaturâ) Hieronymi autoritatem, defutura sunt rationes, si omninò autoritate Hieronymi in præjudicium veritatis Hebraicæ, abuti volent adversarii. Dum enim Hiero-

1 *Ad Bellar. l. 2. d. V. D. c. 2. m In lib. de sanctâ fide contra Jud. p 28.*

Hieronymus⁽ⁿ⁾, locum illum Zephan. 3, v 18. נָגוּי מִמַּעַר אֲחֵרֵי ità interpretatur (prout hodiernum vulgata legit) *nugas*, *quæ à lege recesserunt, congregabo*; (pro *tristes ob conventum, seu ob desertam solennitatem conventus, congregabo*): triplici utique errore, (1) vocem מִמַּעַר malè vertit *à lege*, cum nunquam legem in Scripturis, sed *statum tempus solennioris conventus* notet: (2) de suo assuit *recesserunt*, quod in textu Hebræo non legitur: (3) Vocem נָגוּי *nughe* exponit *nugas*, indeque in Hebræo etiam Latini sermonis vestigia deprehendi, expressè adstruere audet. Quis hic dubitet, illud *nughe* Hieronymi (pace S. Viri dicam) reverà esse *nugas*, & verè *tristem* *tristis* vocis interpretationem? Quis enim sensus foret illorum verborum, quasi divina bonitas & providentia *nugis* congregandis (חַס וְשֵׁלֶם) operam det. Istum verò *nævum* Patri Optimo facilè condonare licet: Τόδε γελᾶσόν ἐσιν, ἀλλ' ἔκ ἐπιεικτόν, quod Purpurati Patres Tridentini, illam *nugatoriam* hic versionem vulgatæ Hieronymianæ, in summam Prophetæ Zephaniæ, adeòque ipsius Sp. Sancti ignominiam, & Hebræi Textus injuriam, non erubuerint Canonicam & authenticam declarare: non absimili puerilis erroris documentò, quò Cardinalis Barenus, ad I Sam. 9, 21. contendit, *Tricliniū olim nomen & usum inter Hebræos existisse*, siquidem I. cit. *Samuel, Saulum & puerum ejus, in triclinium introduxisse perhibetur*, scil. per vulgatum Latinum.

§. 4. Cœterum nondum adeò apertè sententiæ nostræ refragatur Hieronymus, quin commodà adhuc explicatione defendi possit Magnus ille Ecclesiæ Doctor. Neque enim dicit, Samaritanos Characteres esse primævos & originales Scripturis divinis; sed prout alibi (o), eos tantū vocat *antiquas alterius Gentis* (Samaritanæ) *litteras*; ita hic tantum dicit, *eos demē*

F 3

fuisse

ⁿ Comm. in c. 3. Zeph. v 18. o In Comm. ad Gal. 3.

fuisse usque ad *Efram Samaritanos & Hebræos characteres*; quod ultrò concedimus de vulgaris literaturæ usu communiore in negociis civilibus & politicis; nec non de exemplaribus Legis vulgatoribus, Samaritanò caractere exaratis: prout duplicem ejusmodi characterem Sacrum & vulgarem, suprâ è Postello adstruximus, *Conf. inferiùs Antitb. III. §. 2. seqq.* Tum quod additur, ex Hieronymo & Eusebio, *de mutatione per Efram factâ seu repertis ab Efra aliis literis*; sano etiam sensu admitti potest: scilicet, non ut adversarii id accipiunt, quasi Efra assumtas ab Assyriis novas literas loco primigeniarum Hebræarum in S. textu substituerit, vel ipsas novas figuras commentus sit; sed quod promiscuum antea inter Judæos, tam Samaritani (*ut vulgaris*) quàm Hebræi (*ut sanctioris & rarioris*) characteris usum, ita reformarit, ut deinceps Judæi, solo sanctiori caractere Hebræo, in omnibus tam sacris quàm civilibus actibus uterentur; (*quamvis enim reperiuntur nummi Judaici etiam post Efram Samaritano solito caractere procusi, id rarius & quidem præter institutû hoc Efra factum est*); eòque solo libros divinos impostero exararent, relictis ob ἔσσοπον odium Samaritanæ genti illis vulgaribus ceu ineptioribus & monstrosis figuris, quæ Rabbini propterea אמותא לועזית *litera peregrina & barbara* dicuntur; item Character חין *profanus, idiotis Cuthæis relictus*. Talis igitur revocatio Hebræi characteris ad communiorem & publicum (tam in politicis quàm sacris) usum, populo Judaico tunc quasi nova quædam repertio literarum videri potuit, dum celebriori rumore ad Efram Autorem referebatur. Atque hõc sensu, non aliò, Hieronymus hic admitti potest, nec ulla aliud exigit ratio, ceu hætenùs est ostensum.

§ 5. Resp. (3) Quod ex Eusebio locò *sup. cit.* allegatur, quasi is testetur, *Efram literas Judaicas mutasse, & divinas scripturas*

pturas memoriter condidisse, quodque prae se Patribus, (Irenæo) Clementi Alexandrino, Hieronymo, Basilio, Chrysostomo, Theodoro, Theophylacto, & Tertulliano, (licet tamen incertâ fide (p), tribuitur, quasi statuerint, libros sacros omnes, templi incendiò, tempore captivitatis planè deperditos, ab Esrà spiritu propheticò è solâ memoriâ de novo conditos & restitutos esse; consentaneum omninò est, quod uti posterius hoc è fabuloso Lib. 4. Pseudo Esrà cap. 14. prognatum est, (ipsò Capellò agnoscente); ita & prius illud esse confictum: quandoquidem nec verbum istius testimonii de facta mutatione Literarum, comparat in correctioribus Eusebii exemplaribus, à Scaligero summâ curâ & studio editis; sed tantùm in vetustiori Latinâ Eusebii Versione vitiatâ: nec enim, si fuisset genuinum, Scaliger (istius sententiæ acris defensor), hoc testimonium rejecturus fuisset in sua editione Eusebii. Tùm verò ne in illa quidem Versione legitur, quod Eusebius id statuat, *mutatas esse Literas*, sed tantùm *ita affirmari*, non additò, à quibus affirmetur. Insuper & Hebræis Scriptoribus, uti mutatio Literarum, sic miraculosa talis restitutio Librorum sacrorum, planè ignota, imò portentosa est. Quamvis interim Pontificiis defensoribus vix unquâ careat, ubi aliqua, S. Literarum auctoritati derogandi, optata occasio patet: unde totam Scripturam NB novum Esrà partem contemtim appellant Sixtus Senensis (q), Petrus Galatinus (r), Nicolaus Lyra (s), item Alphonsus de Tost. Jacobus Boxfrerius, aliique, quos malè sequitur Woverius in Syntagm. de LXX. Vers. (t). Nec desunt Aseclæ Arabes, tam Christiani, (ut patet ex Elmacini Arabis Christiani Hist. Sarac. p 141), quàm Muhammedani, ut è celeberrimo Arabe

Abmed

p V. B. D. Dorscheum, Part. 2, in Propb. Zach. Disp. 2. q. 2. Et Hotting. Thef. Phil. p 112. q Biblioth. Sanctæ lib. 2, p 76. r De Arcanis Cathol. Ver. p 11. s Ad Esrà. cap. 7. t Cap. 9, p 75.

Abmed Ben Idris, allegat Cl. Hotting. in Thes. Philol. p 113. Verum placet hic audire verba Theodori Bibliandri (u), quæ omniñò observationem merentur, Quod sacros libros in captivitate collapsos & perditos, unius Esrae memoria reparaverit, audierant homines nostri, & nimium simplices ac creduli, verum esse putarunt, ob amplitudinem ingenii & eruditionis Esrae. Sed quàm periculosè illud asseritur! Quis non videt tentari & labefactari auctoritatem Scripturarum, quibus debetur summa veneratio? Non enim legeremus nunc Esaiam, Davidem, Mosen, Job, & alios, sed quod unius hominis Esrae memoria potuisset suppeditare. Non haberemus NB Consensum Prophetarum per tot secula; sed angustia unius hominis, (esto excellentissimi, unius tamen), omnem Scripturam Canonicam terminaret. An igitur Daniel & socii ejus de semine Regio, sine Libris divinis se abduci à patria passi sunt? Nonne Daniel legit Jeremiam? Nonne Cyrus cognovit in Prophetia Esaiæ nomen suum contineri? Nonne Esaias consolationem ad Captivos in Babyloniâ, quæ est à cap. 40, ad 45. misit? Nonne Jeremias Epistolam, Cap. 29, 30, 31, misit eodem? &c. Unde & ipse Jesuita Gordonus (x) asserit; Incredibile esse, periisse in Captivitate Sacram Scripturam, & ab Esra restitutam; quod aliqui fingunt: & alibi (y) hoc ceu absurdum refutat, ad stipulantibus ipsi, Baroniò (z), Bellarminò (a), aliisque melioribus Pontificiis. Contrarium igitur potius, quod nempe authentici Mosis & Prophetarum Libri, Esrae tempore ad huc fuerint superstites, ex Nehemiæ c. 8, 2. & ipsorum Adversariorum, Waltoni, aliorumque confessione, & aliis rationibus, infrà demonstrabitur, Parte III.

§ 6. Resp. 4. Quod attinet Venerabile Nomē Bedæ, errare hūc quoq; non venerabiliter (in hoc quidē ἡλίμαλι), datæ jam antè responsiones facilè evincunt. Et quæ ipsi fides habenda sit,

u In Commentario de optimo genere explicandi Hebraica p 70. x Chronol. quest. c. c. 14. y Tom. I. Operis Chronolog. f. 115. & Tom. 2. p 180. num. 12. z Ad Ann. M. 3610, & 3447, num. 4. a De Verbo Dei, lib. 2, cap. 1.

fit, asserenti; *neminem Hebræorum ea de re dubitare, quin mutata sint Literæ, mox infrà docebimus, Antith. III. & IV*; ostensuri, quod non tam dubitent Hebræi, quàm potius apertè contrarium illius sententiæ statuunt. Et sic tandem isti quoque argumento Waltoni & Asseclarum, abundè satisfactum arbitramur, nec quicquam hactenus obtinere Adversarios.

ANTITHESIS III.

Nec (γ) probatur satis Adversariorum sententia, testimoniis illis Talmudicorū, quibus Lingua Samaritana dicitur עברית Ibhrith, Hebræa vero אשורית Asschurith; (at vocibus his erroneà explanatione in perversum sensum malè detortis). nec proinde (δ) Testimoniis illis Rabbīnorum, quæ falsò ab Adversariis hic jactantur.

עברית.

§ I. Waltonus, sententiæ suæ (pro Samaritano caractere) palmarium argumentum affert, è Talmude Babylónico, *Tract. Sanbedr. Sect. 2, seqq.* בתחלה נתנה תורה לישראל בכתב עברי וכך. *In principio data est Lex in Scripturâ Ebræâ, & linguâ Sanctâ: iterum data est ipsis, in diebus Esræ, Scripturâ Assyriacâ, & Linguâ Aramaâ. Elegerunt Israelite Scripturam Assyriacam & Linguam Sanctam; & reliquerunt Idiotis, Scripturam Hebræam & Linguam Aramaeam. Quinam sunt Idiote? Rabb Chasda respondit, Cuthæi. Quenam est Scriptura Hebræa? Rabb Chasda dixit, Libonaab. Idem allegat & alterum è Talmude Hierosolymæ Megilla, Sect. 1: sed concisus saltem illud & obscurius est. Manifestius autem adhuc habetur in Talmude Babylónico, Sanbedrim, c. 2. (quâvis hoc non allegarit) ואף על פי שלו נתנה חוק על ידו, נשתנה על ידו הכתב/ שנאמר וכתב הנשתון כתוב ארמית ומתורגם ארמית. *Etiam si Lex non sit data per manum ejus (Esræ), mutata tamen est per manum ejus Scriptura, secundum quod dicitur Esr. c. 4, v. 7. Et Scriptura Nischtevanica (mutata) Scriptura Aramaa, & Interpretatio Aramaa.* Atque hæc omnia confirmantes ampliùs Rabbīnos adducit Waltonus, tum R.*

G

Mosen

Mosen Bar Nachman, h. ver. *Scriptura Hebræa relicta est Cuthæis, sicut commemoratur in Sanbedrim*: tùm R. Joseph Album in *Ikkarim*; *Judæi Scripturam Hebræam Cuthæis reliquerunt, & elegerunt Assyriam*; *Scripturam igitur, quæ hodiè est in manibus nostris, non esse Hebræam sine dubio.* His succenturiat q. ὁμοψήφως R. Afariam, & Ephodeum; & sic præter veteres, omnes etiam recentiores sibi consentire, idque se probasse utriusque Talmudis & Rabinorum testimoniis, clarissimò sibi plaudit epiniciò. Iisdemque his testimoniis potissimum triumphant & reliqui, Samaritani Characteris (q. primigenii) adstructores superius allegati.

§ 2. *Hic respondeo* (1). Expendendam ante omnia esse veram significationem vocum, עברית seu עברי, & אשורית seu אשורי; adeòque paulò altiùs repetenda nunc erunt, quæ superiori *Antith. I. § 3. num. 4. & Antith. II, § 3.* breviter innuimus de duplici Characterè Judæorum; quem licet Waltonus (b) planè neget, & pro mero figmento rejiciat; nuda tamen hæc ejus negatio, ratione omni destituta, apud incorruptos & æquos rerum arbitros, tantum utique non valebit, quin manifesta, documenta & testimonia rectè asserti utriusq; illius Characteris, plus ponderis sint habitura. Nec enim omnes adeò erunt ἐπιθεῖς καὶ βελγόμενοι, ut nudis modò Magnorum Virorū Nominibus, statim substringant aures. Ut igitur dilucidè cõflet, quid Talmudici intelligant, per Scripturam עברית *Ibbriith* seu Hebræã, & אשורית *Affchurith* seu *Assyriacã*; (quarū vocū confusa & erronea acceptio, potissimam ansam & originem præbuit, falsissimæ illi nec minùs perniciosæ opinioni Adversariorum, de Lit. Samaritanis; cui & interpolator Morinus, Samaritani sui Pentateuchi authentiam Hebræo Codici longè præferendam, & Waltonus, titulum ac honorem

b In prolegom. Op. Angl. p. 22.

rem Originarii Textus Samaritani (c), malè superstruere aucti sunt): sciendum initio est, quod illa factitia, majuscula, & rudior Scriptura, (quæ tempore solutæ Captivitatis Babylonicæ demùm Samaritana dici cœpit, cùm Samaritanæ genti ceu Apostatis relinqueretur à Judæis), primùm in illâ $\gamma\lambda\omega\pi\sigma\upsilon\gamma\chi\acute{o}\sigma\epsilon\iota$ Babylonicâ, apud Chaldæos & Assyrios, horumque parastatas Structores $\theta\epsilon\omicron\mu\acute{\alpha}\chi\epsilon\varsigma$ Cananæos & Phœnices, aliosque Chami posteros, cum ipsâ horum Linguâ Chaldæâ seu Aramæâ, ortum suum habuerit; & ab eò tempore, usque ad Captivitatem Babylonicam, appellata fuerit עברית *Ibbrith*, & quidem duplici hujus vocis significato, scil. tùm Nominis Appellativi, *transfluvialis*, (ab עבר *transit*, non ab עבר *Hebero*, de quo mox inf. Sect. II.); eò quod è Chaldæâ Cananæis transfluviali, seu trans-Euphratæâ, sit illata in terram Canaan: tùm Nominis Proprii, *Hebræa*; nempe à populo Hebræo, in quo usus ejus communior & vulgatio in terra Canaan diu obtinuit, tam in Exemplaribus Legis privato tantùm usui destinatis, quàm præcipuè in commerciis & cudendis monetis, inde jam à tempore Abrahami Profelyti inter Cananæos: unde etiam Judæis Scriptura קור profana, Politica, & Civilis dici suevit; dicta item *Libonaab* seu *Libanica*, quod incolis Libani tunc esset familiarissima. In discrimē jam verò hujus Scripturæ *Ibbrith* seu *Hebræa* profanæ & vulgatiois, altera Judæorum primigenia Hebræa (ab עבר) Lingua & Scriptura, semper dici suevit קדש *Sancta*, quod tunc non nisi usibus sacris esset peculiaris & propria; item מרבב *Mrübbab* à figurâ quadratâ; item אשורית *Aššurith*, duplici itidem significatione, scil. tùm appellativâ, ab אשור *beatus factus vel habitus est*, quasi Scriptura *beatificata*, (ob latam in eâ ab ipsò Deo sanctissimam Legem); tùm No-

G 2

minis

c Initio operis Bibl. Πολυγλωττα.

minis Proprii ab *Assur* vel *Assyriis*, non quod ab his mutuatus eam fuerit *Esra*, (ut *Adversarii* per imperitiam fingunt); sed (ut *Rabb. testimoniis*, hic præcipuè audiendis, constabit inf.), quod NB *Israclitis* ex *Assyria* vel *Babylone* reducibus, publici & vulgatoris juris atque usus fieri cœperit, cum antea tantum sacris usibus adhiberetur; unde עמרה מאשור cum ipsis ex *Assyria* ascendisse, tritum est in scriptis *Hebræorum*. Sed & hæc ipsa sanctior *Mrübba*, etiam appellata fuit עברית *Ibbirth*, scil. ab עבר *Hebero* Abnepote *Semi*, ut inf. probabimus *Seçt. II, Thef. III*. Quæ homonymia vocis, omnis illius erroris & controversiæ origo fuit: siquidem non attentâ diversâ illâ acceptione & originatione vocis עברית, ipsæ *Rabbimorum* sententiæ sibi invicem contrariantes videntur, ut & *Athan. Kircherus* in *Oedipo Ægyptiaco* (d) queratur, adeo inconstantes hic videri *Rabbinos*, ut vix obtineri possit, quid putent.

§. 3. Atq; ita jam omninò rem habere, (nec sufficere in ejusmodi arduâ quæstione, dictatoriam illam persvadendi autoritatem *Waltoni*, fragmenta tantum clamantis quicquid ipsi adversatur); discemus jam porrò ex ipsis *Hebræis* Autoribus: quorum testimonia, nescio quâ *κενοσπαδία* adeo flocci faciat *Waltonus*, & pro nugacissimis habeat, ubi contra ipsum citari possunt (e): at ubi pro ipso facere videntur, nimio quantum ipsis tribuit; prout l. cit. p 65, expressè ait; nullum certius argumentum pro suâ sententiâ, (sed & illâ falsâ, quod scil. hodierna *LXX* Versio, adhuc sit vera & genuina, prisorum Interpretum, quod inf. Part. III refutabitur), afferri posse, quam testimonium *Judæorum* & *Scriptorum Hebræorum*: & p 93 ibid. Unicuiq; genti in rebus suis, nisi contrarium ostendi possit, credendum esse. Ex hac igitur propria *Waltoni* definitoria

d *Gymnas. Hierogl. Class. II*, p 81. e *Vid. prolegom. III Operis Bibl. Πολυγλωττῆς*, p 25, 29, 47.

riâ sententiâ, firmum satis, contra ipsum & Aſſeclas duplicis illius Characteris Hebræi, documentum dabunt seqq: hæc Rabbīnorum, (quibus non minùs in suâ Linguâ, quam Etymologicis Latinis aut Græcis in sua, meritò tribuendum est; iisq; proinde satisfacere priùs debuisset Waltonus, aut contrariis argumentis refutare, si potuisset, Cl. Buxtorfium ista quam plurima *אֲוּמְלֵצָא* allegantem, antequam pro figmentis ea damnaret). Sic igitur R. Afarias (f)

בּוֹמֵן כִּירַת שְׁנֵי הָיוּ לַיהוּדִים שְׁתֵּי תוֹרוֹת בְּכַתָּב וְכוּ
*Tempore Templi secundi, duo fuerunt Judæis Exemplaria Legis scripta: unum constabat Scripturâ Assyriacâ & linguâ Sanctâ, sicut libri recti & legitimi, quos nos habemus: & paucis interjectis; alter liber varians parum hinc parum illinc, & divulgatus in populo, scriptus erat Hebraicè, hoc est Literis Transfluvialibus, quæ relictae sunt Idiotis i. e. Cuthæis seu Samaritanis. Pariter Autor Libri En Jisrael (g), Lex illa quam Moses Israelitis dedit, scripta fuit Scripturâ, אֲשׁוּרִי cognominatâ Assyriacâ. Idem ibid. allegat consentientem R. Jose, his verbis; Quare vocatur nomen ejus אֲשׁוּרִי Assyriaca? quia ascendit cum ipsis ex Assyria. Sed nemo seducatur, si cognomen hoc אֲשׁוּרִי Assyriaca audiat, quasi id exponendum sit eò modò, quò עֲבָרוּ כְּתָבֵי סְפָרַת Scriptura transfluvialis, &c. Sic R. Gedalia (h) אֲכַל הַתּוֹרָה נִתְּנָה כְּתִיבּוֹת שֶׁאֵנוּ כּוֹתְבִין הַיּוֹם וְכוּ
 Lex autem data est eâ Scripturâ, quâ nos hodiè scribimus Librum Legis, quæ vocatur Aschuri seu Assyriaca. Hac verò figura fuit custodita & servata penes magnates Jisraelis, sicut Lex oralis. Vulgus enim utebatur figurâ Literarum Hebræarum Samaritanarum: sed cum venisset Esra, permisit ipsis, ut scriberent figurâ literarum quibus data fuit Lex. Vocarunt autem eam Assyriacam, quia Magnates Jisraelis eam secum adducebant ex Assyriâ, clàm enim eam habuerant, eò quod esset Scriptura sancta. Item R. Mosche Bar Mai-*

G 3

mon

f In Meor Enajim, cap. 5, fol. 38. g Fol. 142, col. 4. h In Schalscheith Hakkabala, f 89.

mon, seu Rambam abbr. (i), *Scriptura quâ Deus Legem scripsit, vocatur אשורי* Aschuri propter magnificentiâ & decorem, è significatione R. אשר, *quod sit scriptura maximè beatificata.* Pariter R. Ephodeus, (k) כתב אשורי המאשר באותיותיו וכך *Scriptura Aschuri est beatificata illa in Literis suis, quâ Lex divina data est; tum è sententiâ Rabbenu Hakkadosch, & quidem verissimè; tum ex sententiâ R. AbenEfra kat' עֲצוֹת הַחֵכֶם* dicti, in lib. *Tzachuth, & Comment. in Exodum.* (Potuisset igitur Waltonus hic abstinere illis futilibus sannis, quando Scripturam hanc sanctiorem passim ironicè perstringit *Beatas illas Literas*; quamvis & h. pacto inscius ac invitus veritati testimoniu dederit). Imò, docente R. Abarbinele (l), Octavus is est Judæorum Articulus fidei; Credo, שהתורה שבדינינו היום היא הנתונה, *quod Lex, quæ hodie est in manibus nostris, sit ea ipsa, quæ Mosi in monte Sinaj data est, sine ullâ prorsus mutatione.* Unde Autor libri *En Jisrael* cap. i. scribit, כולי עלמא הוו שהלוחות וסת שבארון נכתבו באותו כתב אשורי *Totus mundus fatetur, Tabulas & Librum Legis, qui in Arca fuit, Scripturâ Aschuri seu Assyriacâ fuisse consignata.* Et hoc ipsum planissimè confirmant innumera illa testimonia, maximè insignium totius Antiquitatis Judaicæ Autorum, à Cl. Buxtorfio (m) allegatorum, tum תנאים Tannaim seu Doctorum Mischnicorum, tum אמוראים Amoraim, seu Gemaricorum, tum גאונים Geonim seu Doctorum Excellentium & Magnificorum; tum Cabalistarum, & vel 12 recentiorum præcipuorum Rabbidorum.

§. 4. Quod jam igitur non solùm communi consensu, sed & publicâ fidei professione, testantur omnes ubivis Judæi; ejus nihilominus contrariam sententiam, perversâ quarun-

i *Comm. in lib. Mischnajoth, Tract. Jadajim, cap. ult. §. 5. k In præf. Libri sui Maasch Ephod. l Comm. in Proph. Jer. præfat. m In Dissert. de Lit. Hebr.*

quarundam vocum interpretatione) ipsis impingere, & pro consensu ab sua parte thraſonicè adhuc jactare, annon est ἀεὶ ἑκατέρωθεν vel potius κορυφαίαν? Certè mirari summoperè oportet, quomodo adeò frontem perfricuisse possint Adversarii, ut tam manifestò aut fucū aut ruditatē prodere voluerint Seculo. Quomodo enim concordant hactenq̄ adductis, & mox adducendis, illa Morini⁽ⁿ⁾, *Judæi ferè omnes, quorū id totum interest, nobis præ aliis assentiuntur*; scil. ut *ibid. cap. 2. scribit, Legem in Monte Sinaj, Mofi à Deo NB Characteribus Samaritanis esse datam, idque antiquissimorum atque recentiorum (Hebræorum) majorem & sanio rem partem, ultrò concedere*: illaque Waltoni^(o), *Quod Samaritanò Characterè Lex à Mose sit tradita, esse communem Doctorum sententiam, à Christianis & Judæis antiquis & recentioribus receptam*: asserente idem Capello^(p), *agnoscere id Judæos & ultrò fateri*; item Drusio^(q), *Rem banc tam claram esse, ut nemo amplius, nisi fortè alter Carneades de rebus omnibus dubitare solitus, eam in dubium vocare audeat*. Concludente tandem glorioſè Bellarmino^(r), *sine dubiò igitur nos novas literas habere*. Cùm tamen isti vanissimo figmento omnes Judæos priscos & recentiores extremè contradicere, tam superiora, quàm mox secutura, disertè testentur. Hinc jam agnoscantur technæ ac fraudes Destructorum Veritatis Hebrææ, id unum annitentrum, ut è *Veritate Hebraicà*, (quo sanctiori titulò ferè semper priscis Patribus honoratur S. Codex Hebræus), *Falsitatem Hebraicam* nefariè efficiant, & hoc pacto simpliciores abducant ab unico illo κατόν Ἰησὺ ἀληθείας, cui in nititur fidei nostræ certitudo.

§ 5. Resp. 2. Applicando saltem datam è Rabbiniſ illarum vocum explicationem, adeòque distinctionem inter Character-

ⁿ In Exercit. Eccles. l. 2. c. 1. ^o In Dissert. de Ling. Orient. p. 28. ^p In Arcano Punct. Revel. lib. 1, c. 6. ^q Ad loca difficilia Exodi, c. 56. ^r De Verbo Dei l. 2. c. 1.

Characterem Hebræum sacrum (qui est hodierni Codicis Hebræi), & profanum (qui olim fuit vulgaris, & hodiernus est Samaritanus), ostendi posse, quod illa ipsa pro Adversariis citata Testimonia Talmudis & Rabbinorum, nobis potiùs quàm ipsis faveant: adeoque totum hoc concidat principale ipsorum argumentum, quod jam amplius ex illorum Locorum Interpretibus Rabbinis demonstrabimus. Sic enim R. Jacob in *En Jisrael*, fol. 142, (allegante Cl. Buxtorfiô (1), ad illum locum Talmudis; פי מאמר בתהלה נתנה תורה לישׂראל בכתב עברי הוא כדברי הריטבא שהכונה בו וכו') *Expositio dicti illius*, In principio data est Lex Israël Scripturâ Hebræâ, est *sec. Ritbam* (i. e. R. Jom Tobh Bar Abraham), quod agatur ibi tantùm de descriptione ejus Libri Legis, quem quilibet ex Israële scribebat pro seipso, (seu in usum privatum); sed NB *Deus misericors servet nos* (i. e. prohibeat), ne cogitemus aut putemus, id etiam dici de Scriptura Tabularum Legis, qua fuit in arcâ. Illa enim הכל לדברי NB caculo omnium, scripta suere Scripturâ Assyriacâ, in cujus Literarum figurâ & ligamentis, qua Deus illis illigavit, latent secreta admiranda. Et porrò fol. 143, *ibid.* Quod verò additur; Iterum data est ipsis in diebus Esræ Scripturâ Assyriacâ; eò intelligitur, quod tunc edictum prodierit ab Esra, ut omnes & singuli, Librû Legis, non aliâ quàm Assyriacâ Scripturâ, scriberent. Idq; indicat verbû eligendi, dū dicitur. elegerunt pro Israelitis, &c. quod utiq; elegerint optimâ, ut omnes imposterû eâ uterentur Scripturâ, in qua Tabula Legis, & Liber Legis qui in arca, fuerat scripta. Eodem modo Textum illû Talmudis explicat ריטבא *Ritba*, in *Additionibus suis*; אבל ודאי אין ספק שזוהי הכתב הנקרא אשרי הויה כתב הקדש שבלוחות ועל כך שם נקרא קדש וכן לשון קדש. Sed reverâ, *citra dubium*, Scriptura dicta Assyriaca, est Scriptura illa sancta, qua fuit in Tabulis. Hanc enim ob causam vocatur Sancta & Lingua sancta.

† In *Dissert. de Lit. Hebr. thes.* 44.

Corollaria Philologica RESPONDENTIS.

1.

Accentus Distinctivi semper distinguunt, & Conjun-
ctivi semper conjungunt, nunquam tamen duo actu
conjungentes Accentus immediatè possunt concurrere.

2.

Nota Masorethica קרי וכתוב item ספרים קובץ
non sunt media propagandorum vitiorum, nec correctio-
nes Textus, ut volunt Waltonus, Capellus, Alex. Mo-
rus, & alii.

3.

Versio, quæ LXXII illis Interpp. à Ptolomæo accer-
sitis adscribitur, adeò corrupta est, ut non sine injuria illis
tribuatur autoribus.

4.

Ut in aliis sæpissime Scripturæ locis, ita Esa. 9. v. 2.
genuina interpretatio ex accentuatione petenda est.

5.

Allegata N. T. è V. T. non faciunt, quò minus hodiè
adstricti sumus ad tenorem S. textus Hebræi authenticæ.

6.

Repugnat natura & Schva, ut legatur, quapropter
pessimè ille vocalium minister pronunciatur à quibusdam
producto è SCHEVA.



Corollaria Philologica
RESPONDENTIS

Ad hunc Disputatum sententia dicitur
Ad hunc sententia dicitur
Ad hunc sententia dicitur


Nota Majoribus dicitur
Nota Majoribus dicitur
Nota Majoribus dicitur

Nota Majoribus dicitur
Nota Majoribus dicitur
Nota Majoribus dicitur

Nota Majoribus dicitur
Nota Majoribus dicitur
Nota Majoribus dicitur

Nota Majoribus dicitur
Nota Majoribus dicitur
Nota Majoribus dicitur

Nota Majoribus dicitur
Nota Majoribus dicitur
Nota Majoribus dicitur



CAP. I. Argum. Gramm. Sect. I. de Lit. (antib

rem *Originarii Textus Samaritani* (c), malè super-
 sunt): sciendum initiò est, quod illa factitia, ma-
 rudior Scriptura, (quæ tempore solutæ Captivi-
 lonicæ demùm *Samaritana* dici cœpit, cum Sama-
 ti ceu Apostatis relinqueretur à Judæis), pri-
 γλώσσῃσι Babylonicâ, apud Chaldæos & Assy-
 rumque parastatas Structores θεομίχτες Cananæo-
 ces, aliosque Chami posteros, cum ipsâ horum L-
 dæâ seu Aramæâ, ortum suum habuerit; & ab e-
 usque ad Captivitatem Babylonicam, appe-
 עברית *Ibbrith*, & quidem duplici hujus vocis
 scil. tum Nominis Appellativi, *transfluvialis*, (ab
 non ab עבר *Hebero*, de quo mox inf. Sect. II.); eò quod
 dæâ Cananæis transfluviali, seu trans-Euphratæâ
 terram Canaan: tum Nominis Proprii, *Hebræa*; i
 pulo Hebræo, in quo usus ejus communior & v
 terra Canaan diu obtinuit, tam in Exemplaribu
 vato tantum usui destinatis, quam præcipuè in
 is & cudendis monetis, inde jam à tempore Abr-
 selyti inter Cananæos: unde etiam Judæis Scri-
 profana, Politica, & Civilis dici suevit; dicta ite
 seu *Libanica*, quod incolis Libani tunc esset famili
 discrimē jam verò hujus Scripturæ *Ibbrith* seu *Hebræa*
 vulgatoris, altera Judæorum primigenia Hebra-
 Lingua & Scriptura, semper dici suevit שר
 quod tunc non nisi usibus sacris esset peculi-
 pria; item מרובב *Mrübbab* à figurâ quadratâ; ite
Afscburith, duplici itidem significatione, scil. tum
 vâ, ab שר *beatus factus vel habitus est*, quasi Scriptur
 (ob latam in eâ ab ipsò Deò sanctissimam Legem

G 2

c *Initio operis Bibl. Πολυγλώσττα.*

